

illas litteras superantem; ab his non modo subsidia nulla, (et est hoc verissimum,) in his campis aethereis expectanda, sed metuendum etiam esse, ne cultores suos vanitate, novarum rerum studio, tricis minutissimis consecrandis, aliisque nugis nutriant, tantoque magis a coelestibus et sublimibus spectandis abstrahant. Hanc iudicandi insolentiam ut eo probabiliorem reddant, addere non verentur, eos, qui pio et religionis studio gaudeant, hoc ipso satis doctos atque ingeniosos esse, ac innumera rectius multo intelligere, quam qui profana illa litteratura, paganarumque linguarum scientia, et ethnicorum scriptorum familiaritate turgeant. Et sunt alia non dissimilis generis, ex quibus hos verae doctrinae hostes, in insidiis positos, velut ex ungue leonem facile dignoscas. Nam, ut hoc utar, etiam cum philosophantur, alieni a litteris philosophiae affinibus, spernentesque, et non raro abominantes magna illa ingenia, quae a tot inde Seculis, in vero indagando, causisque rerum scrutandis, sagacissime versata sunt, sua vnicuique inventa protrudunt, vetera scita novis vocabulis et sententiis aenigmaticis obscurant, nihil non agunt ut ἀόρατα, nec ulli mortalium videntia, sensibus palpanda exponant, rationis et religionis terminos penitus permiscent; verbo, ea conantur, declamant, gesticulando etiam in scenam producunt, quae

*Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.*

Ita perspectis eorum notis, et propriis signis, multum iam ad eos vitandos, ad deprehendendos hos Proteos, profecimus. Nam ita callide transformant se in sapientiae omnis doctores, ut nisi ipsi clarius nonnumquam mentem prodant, aut in tenebris et sententiarum suis imparati opprimantur, fallant vel attentissimos. Verum ut progressibus eorum obicem ponamus, dispiciendum est, quatenus adversus eos tela maxime sint penetrabilia. Ac primum quidem

dem